

Z d
5535

De Rectorib. Scholæ Torgav.

X 2056861

PIETATEM
ERGA PRÆCEPTOREM PISSIMUM;
ET B. MANES
M. JACOBI REICHMANNI,
SCHOLÆ TORGAVIENSIS ANNOS
CIRCITER XXII. RECTORIS
CELEBERRIMI,

IV. D. AUG. A. AER. CHR. cō Ibc XXCIIX.
PLACIDE VITA FUNCTI,
ANNIVERSARIA RECOLENDAM MEMORIA,
IN AUDITORIO SUPERIORI,
INTIMAT,
ET
AD EAM COGNOSCENDAM

EGREGII LITERARI PATRONOS
ET FAUTORES OMNES,
OMNI OFFICIORUM POLLICITATIONE,
INVITAT
ANTECESSORUM SUORUM ADMIRATOR

M. DAVID WINTER, CYGN.
SCHOLÆ TORG. RECTOR.



TORGÆ,
Literis JOHANN. ZACHARIÆ HEMPI.



no
Pl. Reverendo Dr. M.
B. Schmidt, Pauloni
pro singulari et civi
honoratissimo
m.
mdu.





Voties animum B. REICHMANNI, religiosissimi Viri, memoria subit (subit autem sæpius) toties reminiscendo recognosco literas, ad me primum Wittebergam missas, prid. Kal. Mart. Anno 1687. Ex iis enim, quod Epicharmi olim mei, post cineres etiam sanctè colendi, mentionem injiciant, & amoris, quem Successores inter & Antecessores intercedere par est, initium adscribere non pigrabor. *Gratissima, inquit, mihi fuerunt & Dn. Daumii, amici honoratissimi, oblata nuper carmina per te transmissa, & tua ipsius presentia, quàm me beare non dedignatus, quum præcipuè venerer meos in antiqua provinciâ Successores. Datur & adscensus illis exoptator, quem tibi præcipuè (elogium lubens omitto) ex animò precor. Sed quid respondeam Dn. Daumio, principi omnino Criticorum nostri seculi, certè non habeo, &c.* Et novissimè haud longò ante obitum, intervallò, d. 19. Junii Anno 1688. *Tua pietas erga B. Præceptorem (Daumium) & ejus merita valdè commendanda, & premia sua suo quoque inveniet tempore.* Prudenter admodum & animo planè vaticinante de eo, quod accidit, cogitavit ὁ μακάριος. Veneratus enim est in antiquâ provinciâ Successores, alterum id temporis Witteb. Facult. Phil. Adj. & Scholæ L. J. S. ConR. ex hinc istius Lycæi Rectorem, hodiè verò S. S. Theol. Lic. & Superint. Kirchhay- M. G. B. nensium meritissimum; alterum in cœlis nunc triumphantem, sanctorumque Doctorum æternaturâ mercede gaudentem, cujus in locum tunc surrogatus egomet ipse fui. Nec verò Successores solùm; verùm etiam suos Antecessores summâ fide, reverentiâ ac amore semper coluit, & eorum memoriâ nihil charius, nihil amabilius in vitâ æstimavit. Aliorum equidem compilare scrinia, aut vanæ quid gloriolæ captare mens refugit: Non tamen omnem Eruditorum memoriâ sepeliendam judico, de Scholis maximè meritorum, quorum ætas hodierna non amplam profert segetem. Lector igitur æquus æqui bonique consulat hanc de Scholæ h. l. Rectoribus institutam commentatiunculam, quam auspiciatus B. Noster est, si paulùm interpolavero, pietatis in Antecessores memor, & istius, quod apud J. Lipsium est, effati, Cent. IV. Ep. II. *Profecto optima illa pietas seu gratitudo in defunctos, laudare & meminisse.*

Fovit sane Magistratus heic Amplissimus, ac aluit benè diu Ecclesiæ & Reipublicæ Seminarium sic satis celebre, ex eoque prodierunt Viri celeberrimi, quorum consignare nomina fert animus tranquilliori tempore, (si vitam viresque indulserit divinum Numen,) ut habeant ingenui juvenes, quorum vestigiis insistant. Anno enim suprâ millesimum quadringentesimo nonagesimo tertio Schola Torgensis ædificari cœpit, è regione Templi B. Virginis, ejusque tum Ludi Moderator M. SCHMIDELINUS scribitur, Canonicus Freiberg. Huic successerunt alii, in scientiis & artibus eximii, virtute quoque illustres Viri, VADINUS, GEORGIUS LÖSERUS, BENEDICTUS FLEMMINGIUS, quos ordine recenset *ὁ ἄριστος* REICHMANNUS, ex MSS. to. vetustò (literarum ductu B. M. Michaelis Bojemi esse censeo, quò de infra) in *Evcharist. Orat.* quam declamavit publicè A. 1676. d. 25. Sept. in restauratione Scholæ Torg. & Auditorii novi, ad auspiciandas lectiones jam jam occupandi, eamque ab Auctore dono mihi missam reperi, hâc inscriptione adjectâ:

Sint hæc WINTERO sacrata pagina, amoris

Signa, à Reichmanno munere missa. Vale. M. J. R.

Præter jam nominatos (si fides habenda est Vitæ seu Diario D. Balthaf. Sommeri, quod nullus dubito, quandoquidem hâc in Scholâ probè doctus & eductus, ejusque plurima in supellectili Scholæ librariâ extant monumenta) Anno Christi 1511, quidam *Corbustianus* scholicam hîc rem administravit; MELCHIOR item FENDIUS, *Nordlingâ inferioris Rhetie imperiali urbe oriundus, Torgam ad rem literariam gubernandam ex Acad. Witteb. vocatus, Scholæ summâ laude præfuit, ac juventutem honestis moribus optimè rexit. Hic postea Wittebergam reversus, artisq; Medicæ Doctor factus, ultra quadraginta annos ibi docuit.* Hactenus Sommerus. Plura in Fendii memoriâ si quis nosse discupiat, adeat Acad. Witteb. B. D. Gottfridi Sævi, ad A. C. 1532. 1543. 1553. 1562. & Athenas Witteb. venerabilis & grandævus Senis Andreae Sennerti, nov. edit. p. 61. 62. 63. 122. 229. Conf. Orat. Secularis D. Andr. Schatonis, Torgensis, Artis Medicæ D. & Prof. Publ. auditoris procul dubio B. Fendii, in Acad. Witteb. habita A. 1602. Ejus hæc sunt inibi lectu digna: *Ex illis Medicina in hâc Academiâ restauratoribus fuit D. Fendius, qui & Deum religiosè colendo & de plurimis in genere humano suâ operâ medicâ aliisq; honestis officiis benè merendo vitam ad Annum LXXVIII. ætatis produxit. Et moriens testamento reliquit annuas quasdam pensiones, erogandas in pios usus, quarum particeps ipsemet olim Wittebergæ factus.*

Ad

Ad Annum Christi 1532. Diarium modò dictum adnotatum ivit: Ad Stifelium audien- dum concurrunt quog³ Torgenses, & M. MARCUS CRODELIUS, Vinariensis, Torg. Scholæ mo- derator, vir doctus, Grammaticus & Hebraeus haud contemnendus fuit. Præterea D. Lutheri ami- cissimus, quod ex elogio suâ B. Megalandri ipsius manuscripto adparet, in fronte libri D. M. L. cuius Titulus: *Supputatio annorum mundi*, Witteb. apud Georg. Rhau 1545. (Quem librum ex munere B. Jacobi Thomasi postliminò Scholæ nostræ possidet,) ubi in subscriptione Cro- delium informatorem pueritiæ Christianæ Torgens. & fratrem suum charissimum appellavit. Gram- maticamq; Lat. conscripsit ipse, quam dono Bibliothecæ Scholasticæ dedit B. Reichmannus. Hebraico caractere libris inseruit ubiq; nomen suum: מ. קרדל. Ejus Epitaphium & imago visenda in pilâ templi ad Sp. S., suoqve sumtu renovari curavit omnia B. Reichman- nus. Inscriptio ita habet: *Anno Domini 1549. d. 29. Martii obiit perdoctus & pius Marcus Cro- del, rei literariæ moderato ac Torgianæ Juventutis institutor, moriens in Christo hic requiescit.*

CRODELIUM excepisse commemoratur M. JOH. MOSER, Argentinenensis, & eò tem- pore vixit, quò sedes antiqua Scholæ translata in monasterium hoc, Franciscanorum aliquando claustrum. Quibus expulsis, placuit Serenissimo Electori locum hunc Scholæ consecrare, quæ antea juxta Electorale stabulum, è regione Templi B. Virginis, ut supra monui, fuerat. Migraverunt igitur huc Musæ Torgenses, Rectore Joh. Mosero, d. 4. Martii A. 1557. De Mosero Sommeri Diarium ita commentatur: *Sub initium Pastoris Mori (qui Interim introducere laboravit) ex Acade- miâ Torgam ad informandam Juventutem vocatus vir doctus & virtute excellens Joh. Moser, Ar- gentinenensis frater Bartholomæi Moseri, in locum Marci Crodelii Rector constituitur, magnâ cum gra- tulatione. Hic cum antea Francofurti ad Oderam rei literariæ magnâ cum laude præfuisse, à Senato- ribus & civibus libenter recipitur. Nec dubium est, quin hujus aliorumq; Ingenii monumenta prostent, si temporis injuriâ dicam, an incuriâ? conservata, diligentiusq; adnotata fuissent.*

Idem expertus fatum M. MARTINUS OBERNDORFERUS, Rochlicienensis, qui ter- tius à Reform. Scholæ nostræ Rector audit, eumq; procedente tempore Professorio munere Witteb. functum, MSS. memorant, ut in Catalogo Professorum à me nusquam repertus; reperitur tamen, Decani eundem honore & munere functum. Proposita editaq; ejus *Orat. de plagio Kaufungiano*, quam habuit in isthoc actu solemnè A. 1575. M. Aug. juvenibus XXXVI. testimonium doctrinæ publicum conferens. In classica Draudii bibliothecâ p. 901. Conradî nomen præfixum gerit, sed perperam. Celebratur item alia ejusdem *Oratio* A. 1574. in Exor- dio suæ professionis de initiis & ceremoniis Acad. Wittebergenensis. Ex Academiâ demum, Mittweidam in patriam vocatus Pastor. vid. *Annal. Torg.* ad A. 1569. al. 71. *M. Oberndorfe- rum*, ajunt, *diu Scholam moderatum, legibus benè flexisse, multosq; doctos formasse Viros.* Suc- cessit ei SIMON STEINIUS.

STEINIUS isthic Lommacenensis, exiguum duravit spatium, abiitq; in Palatinatum, antea huc evocatus Budisâ, Poëta & Græcus eximius. Vid. *Annal. Torg.* 1569.

Hinc, quæ erat illorum temporum infelicitas, interturbata religio, uti sacris ædi- bus, ita Scholis multa faceffebat negotia, rei qve veritatem comprobavit M. Georgius Peucerus, Casparis frater, quem Sommeri Diarium vocat ad An. 1575, quippe qui Torgâ, ubi per triennium scholasticò munere functus Ludi-Magister officio se abdicavit, ipse sibi suspectus ob Heterodoxian, dimissionemq; impetra vit ex facili, parochialibus in ædibus, præ- sente Cos. Gadegastio d. 18. Dec. cum omni familiâ Cotbusium discessit, d. 21. Septemb. 1576. egitq; Archigrammatei vices. Vid. *Ann. Torg.* A. 1576.

Istis malis ubi jactata satis omnis Saxonia, & tantum non succubuit, advolat huc ad Scholæ gubernationem tertius literis evocatus (d. 7. Nov. 1575.) M. MICHAEL BOJEMUS, Pirnensis, Lipsiæ qui studiis operam navarat, Witteb. Magisterii gradum adeptus, A. 1572. & illic ad D. Thomæ Collega per biennium; hic verò per unicum annum ConR. sed ultra 40. annos Rectora- tius munere summâ cum laude functus; excessit ex hac vitâ A. 1616. d. 25. April. vid. *Ann. Torg.* Ejus *historia & Elegia* vel lucubrationum libelli, quos vocat, *de Somniis eorumq; eventibus ad Henri- cum Ranovium, Regis Danie in Ducatibus Holsatiæ Præsidentem, hujusq; Familie Genealogiâ* di- vulgavit A. 1587. & suapte manu scholæ hic dicavit A. 1608. His annexa vita Alberti III. ani- mosi, Ducis Saxonie, it. *Oratio* destinata funeri pientissimi Principis D. Augusti, Saxonie Electoris A. IV. Altia & LVX est & MIHI Vita DeVs. Aliaqve publici juris fecit, Leges Scholasticas adornavit, & Catalogum nonnullorum, qui ex hac Scholâ clari nominis pro- diere, Torgensium civium filii, albumqve alumnorum auspiciatus est primus.

Bini fuerunt illi Successores non admodum diu qui præfuerunt, M. AUGUSTINUS BREILIUS, Torg. anno vix elapso Zutaviam abiit ad Rectoratum capeffendum: M. GEORGI- US GLAUCHIUS, Crizensis, è scholasticâ statim Cathedrâ ad Ecclesiasticam h. l. aspiravit. In- vitæ suæ delineatione paupertinis Musis notatu digna reliquit: *Cum è terris, inqvies, ad cæ- los vo-*

FK 2d 55 35

los vocaretur Parens, Ecclesia Minister in Diocesi Cixensi, inopia sumtuum Mater mea me in Scholâ sustentare non potuit. Itaq; ego ipse, Deo ita volente, abii Naumburgum discendi gratiâ. Ubi cum homines meâ operâ propter etatem uti non poterant, stipem N.B. triennium amplius collegi. Haud scio, an aliquid scribi possit magis patheticum.

Virg. l. 6. Hisce dimissis & ad altiora evectis, non alter quidem deficiebat, sed aureus, inven-
Æneid. v. tusq; talis fuit M. JOACHIMUS MEISNERUS, vir insigni dignissimus elogio, quod hâc
137. 144. nostrâ memoriâ cives sint ac eruditi, qui laudes ejus deprædicare satis nequeant. Testem
187. Taub- inferiùs in medium producam omni exceptione majorem. Lipsiæ is ad D. Nicol. in ante,
mann. p. Collega huc accessit A. 1618. d. 15. Julii, & confluebat ad famam ejus, jam animis civium per-
692. p. 696. vagatam, flos undiq; juventutis. Vidisses tum temporis ad pedes tanti Gamalielis confide-
re B. D. MARTINUM GEIERUM, at quantum virum! per biennium integrum, ætatis quar-
tô decimô ad decimum sextum, ab A. 1626. usque 28. Cedrô digna sunt adeò verba B. Buch-
neri de eò, quæ lapidi sepulchrali leguntur insculpta juxta ædem D. Virginis, ubi aditus pa-
tet ad Chorum Musicum antiquiorem. D. O. M. S. Hic situs est JOACHIM MEISNERUS,
P. L. C. L. Torg. Rector, majoris doctrina, quam pompa vir; ceterum eâ pietate, innocentia atque
modestia, ut major seculo videri posset. Qui cum literarum omnium callidissimus, omnium literarum
artiumq; peritus esset insigniter, procul omni ambitione, aliarumq; rerum, quæ à plerisq; magni fie-
ri solent, curis, id unum propemodum egit in vitâ, ut aut præcipiendo adolescentum formaret ingenia,
aut commentando legendoq; perficeret suum: Egregium in hac quiete atq; silentio suæ virtutis juxta
ac πολυμαθίας antiquæ, quod functus vitâ relinqueret, meditatæ exemplum. Natus Elsterwerde
prid. Kal. Nov. M. D. LXXXVI. prid. Kal. Junii M. D. LVI. uxore filiâq; unicâ de V. liberis super-
stitibus decessit, cum XXXVIII. annos Scholæ summâ laude præfuisse.

Non minori gloriâ partes administravit suas B. REICHMANNUS, Kemberg. cu-
jus in memoriam adornata est hæc scriptio, B. Meisneri & muneris & Bibliothecæ filiâq; uni-
cæ velut ex asse factus hæres, hujus Scholæ tenuit habenas Annos triginta, & quod excurrit
A. 1656. mense Juliô vocatus Rector, antihac Witteb. Fac. Phil. Adj. & Schol. ConR. De cu-
jus pietate, indefesso studio ac labore, cum plurima rerum testimonia adsint, non opus est
multis. Loquuntur id geminum & Acad. Witteb. & Facult. Theolog. ibid. testimonium præ-
clarum, quod utrumq; Dissertationibus B. Buchneri insertum, m. p. 633. aliaq; ibid. p. 181, 195,
662, 672. videre licet. Testantur hodiernum multi eruditissimi Viri, qui hîc sunt, & cla-
rum Reipubl. tenent, ex ore ejus qui pependit olim. Clarum dant plausum alii extra ur-
bis hujus pomeria doctrinâ conspicui Philologi, & in his suprâ laudatus Daenius, qui
Reichmannum non tantum honore prosecutus est absens, sed & encomiis ornavit eximiis.
Tria sufficiant hîc disticha, schediastasi ad eum missis inscripta;

Ad Gerontica Barthii:

Hoc parvum BARTHII monumentum, REICHMANNE, capelle,
Daumiadenq;ve tuo, quæso, fovere bea.

Ad Hieronymum Grecum:

Nestoris ô VIVat felIX ReICHMannVs In annos,
Aspera fata terat, gaVDIa grata ferat.

Ad schediastmata varia:

Vilia Reichmanno mittens meletemata: Salve,
Unio Musarum! Daenius autor ait.

Bibliotheca testis est instructissima, quâ de possessori futuro dicendi locus & scribendi erit.
Quid? Ipsa à se in lucem emissa scripta confirmant, quæ curam sapiunt non perfunctoriam;
sed quantâ quantâ potuit industriâ ad ea exornanda congerebat omnia. Longè dignissimus
igitur B. Reichmannus, qui ametur post funera, colatur à discipulis suis olim & meis hodie
(Successores etiam ad idem gratitudinis officium sibi devinxit) recoletq;ve d. V. Augusti me-
moriâ ejus & suas in dicendo vires experietur iterum GABRIEL WIMMERUS, Sagano-Sile-
sius, solertissimus ac Præceptorum amantissimus Juvenis. Emortalis ille quidem B. Nostri
Natalis mihi fuit olim, quod mireris, & fatalis, fausto cæli omine: Dubius tamen utrum albo
h. t. an atro mihi notandus lapillo. Quicquid ejus sit (πῦρ ἐν τῷ θεῷ γὰρ ἀσπίς κείται) istud
thema jussu meo suscepit elaborandum WIMMERUS, vitamq;ve B. Antecessoris enarrabit
breviter.

Vos, quod remanet, literarum PATRONI & FAUTORES verè Φιλόμοροι, oro &
obtestor, ut ad d. V. Aug. qui perendiè illucescet, finitis sacris matutinis adesse, & Benevo-
lentiam non dicturo tantum humaniter, sed ejus etiam, de quô dicetur, B. Manibus, abundè
probare ne dedignemini. Egomet pro hoc beneficii genere & observantiam & inservi-
endi promptitudinem liberaliter polliceor. P. Torgæ III. Non. Aug.

A. clō Iōc LXXXIX.

1012 21

F. H. 19, 71.

De Rectorib. Scholæ Torgav.

Z d
5535

x2056861

PIETAT
 ERGA PRÆCEPTOREM
 ET B. MANE
M. JACOBI REI
 SCHOLÆ TORGAVIE
 CIRCITER XXII. R
 CELEBERRIM
 IV. D. AUG. A. AER. CHR. C
 PLACIDE VITA F
 ANNIVERSARIA, RECOLEND
 IN AUDITORIO SU
 INTIMAT,
 ET
 AD EAM COGNOSCE
EGREGII LITERARI
 ET FAUTORES C
 OMNI OFFICIORUM POLI
 INVITAT
 ANTECESSORUM SUORUM
M. DAVID WIN
 SCHOLÆ TORG. R

TORGÆ,
 Literis JOHANN. ZACHA

BIBLIOT
 PONICKA



no
 Pl. Reverendo Do. M.
 B. Schmidt, Paulini
 suo singulor. et civi
 honoratissimo
 m.
 m. d. w.